



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Eckardus à Rottenhahn, Abbas XL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

gressi, summo & Episcopi Wirceburgensis & Ab-
 batis Joannis gaudio in rectum tramitem, à quo
 deflexerant hucusque, Schwartzacenses reducunt:
 ad quam quidem reformationem non minimum
 fecit, quòd inter nobiles & eos qui obscuriori
 genere oriundi erant, par vivendi ratio habe-
 retur, juxta legem Gregorii IX. Pontificis, qui
 suam super eâ re mentem declaravit his ver-
 bis: Non generis, sed virtutum Nobilitas vitæ-
 que honestas gratum Deo faciunt, & idoneum ser-
 vitorem; ad cujus regimen non multos secundum
 carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles
 & pauperes; eoquòd non est personarum acce-
 ptio apud ipsum. Joannes anno 6to Abbatialem
 dignitatem ipse deposuit præposituram Dimba-
 censem deinceps administraturus; quo officio
 annis 12. ritè perfunctus tandem anno 1462.
 mortuus est, in domo Capitulari, quam exstru-
 xerat, humatus.

**ECKARDUS à Rottenhahn,
 ABBAS XL.**

Ex Lectissimis Viris, quos Conventus Ful-
 densis ad S. Andream dictus Asceterio nostro
 F sub-

submit, Eckardus Abbas electus fuit anno 1450. Vir spectatæ pietatis & rarissimis queisque Religiosi Præsulis dotibus ornatus. Æris alieni ab Antecessoribus conflati magnitudo, & bellum quod inter Joannem Episcopum Wirceburgensem & Marchionem Brandeburgensem Albertum gestum est, multas optimo Abbati curas & molestias faciebant; Marchio quidem Brandeburgensis magnâ peditum equitumque manu Vicina loca infestans, Monasterium flammis absumpsit, postquam illud ducentos avenæ modios, pagus Somerach autem florenos 500. Nordheim 200. hostili avaritiæ expendere debuit. His curis & laboribus fractus Eckardus supremum diem habuit Divo Michaëli sacrum anno 1466.

MARTINUS ABBAS XLI.

Eodem adhuc anno Martinus natione Austriacus, ex Cænobio Ægidiano Norimbergæ ad nostrum translatus, Eckardum secutus est famâ pietatis & disciplinæ Monasticæ studio facilè celeberrimus. Præterea recuperatis multis pagis, decimis, advocatiis & juribus, quæ temporum priorum iniquitas nobis ademerat, suis quasi è cineribus